

ex illa conditionali infertur futuri-
tio in exercitio conditionato, sicut
si purificaretur conditio poneretur in
exercitio absoluto, ergo ipsa futuri-
tio exercita est quæ videtur in vi ta-
lis conditionis. Non potest autem
adæquate videri per scientiam natu-
ralem, quia semper objectum illud,
scilicet consensus ex prædetermina-
tione illatus manet liber et contin-
gens, ergo deficere potens, ergo et
ipsa scientia posset deesse Deo de
tali futuro.

Confirmatur. Nullum actuale de-
cretum erga creaturas datur in Deo,
nisi ex parte creaturarum sequatur
aliqua mutatio, seu dispositio in ob-
jecto ex vi talis liberæ volitionis,
nam cum Deus liberum actum ha-
beat, non mutatur in se, nec habet
aliquid in sua essentia quod antea
non habebat, sed ille actus liber est
ipsa essentia Dei cum connotatione
alicujus libere convenientis ad ex-
trema in objecto, ergo ubi nihil con-
notatur in objecto de novo, et libe-
re, non potest in Deo assignari li-
berum decretum. At respectu condi-
tionati futuri nihil ad extra conno-
tatur in objecto, quia potius Deus
vult non esse tale objectum, ergo
non potest poni actuale decretum
ex parte Dei respectu talium objec-
torum, quia actuali decreto semper
aliquid actuale et de facto in objecto
correspondere debet; sufficit ergo
decretum conditionatum etiam ex
parte actus, quia solum conditionate
aliquid connotatur in objecto.

XXXIV. Respondetur quod ut su-
pra diximus articulo præcedenti cir-
ca finem, aliud est objectum condi-
tionatum contingens, quod cognos-
citur ut stat sub conditione contin-
genti et indifferenti, aliud est me-
dium, seu fundamentum et ratio
ex parte Dei cognoscendi tale con-
ditionatum, quod est infallibile me-
dium, scilicet decretum Dei, ejusque
causalitas, quod si ponatur tamquam

conditio effectus futuri, facit conse-
quentiam necessariam, licet extre-
ma ipsa sint contingentiæ et libera.
Sic ergo conditionatæ veritates, et
objectum conditionatum dupliciter
formari possunt. Uno modo ponen-
do ipsum decretum, seu concursum
ejus pro conditione, ut cum dicitur
Esther XIII: *Non est qui possit resiste-
re voluntati tuæ si decreveris salva-
re Israel*: si Deus efficaciter præde-
finierit conversionem Judæ, pœni-
tebit, si prædestinaverit, consentiet.
Alio modo ponendo pro conditione,
non ipsum decretum vel prædeter-
minationem, sed aliam conditionem
non infallibiliter connexam cum
futuro libero, sed indifferentem res-
pectu ejus, v. g. si David maneat in
Ceila, tradetur: si miracula Christi
fierent apud Tyrios, converterentur,
et similia; et tunc cum inter condi-
tionem, et effectum futurum non
sit ab intrinseco connexio necessa-
ria, et infallibilis, sumenda est ex
medio et causa extrinseca, scilicet
ex decreto a quo tamquam a funda-
mento et medio sumitur infallibili-
tas cognoscendi id quod secundum
se solum est contingens, et tunc de-
cretum non se tenet ex parte condi-
tionis, nec pro conditione ponitur,
sed ad cognoscendum futurum sub
conditione contingenti deservit ut
medium, et ratio ex parte Dei. At
vero si objectum conditionatum
componatur ex ipso decreto tam-
quam ex conditione, et ex effecto
futuro, tunc illa conditionalis red-
ditur necessaria, pertinetque ad
scientiam simplicis intelligentiæ,
quæ solum explicat vim consequen-
tiæ et infallibilitatem ipsam inter
decretum et effectum, stante posi-
tione decreti, et tamen salvat con-
tingentiam et libertatem extremorum
ex quibus constat illa conditio-
nalis ob duplicem rationem, tum
quia bene stat conditionalem in vi
consequentia esse necessariam, et

tamen utrumque extremum esse li-
berum, seu contingens, imo et fal-
sum, vel impossibile, v. g. hæc con-
ditionalis in vi consequentiæ est
necessaria: Si Petrus videt parietem,
paries est visus; Si Petrus loquitur,
movet linguam, et tamen utrumque
extremum est contingens secundum
se sumptum: et ista: Si homo est
equus est hinnibilis, est necessaria
consequentia, et tamen utrumque
extremum est falsum: tum etiam
quia ut supra retulimus ex D. Tho-
ma III contra gent. cap. xciv, hæc
conditionalis non est vera: Si Deus
aliquid providet, erit, sed ita erit si-
cut providit, id est, si providet ut sit
contingenter, erit contingenter;
si ut sit necessario, erit neces-
sario, totum hoc est infallibile;
quasi dicat quod providentia,
seu decretum divinum non fert
infallibiliter aliquem effectum, ni-
si salvando modum ipsum con-
tingentiæ, vel libertatis, quam etiam
facit infallibiliter, et sic relinquit
extrema contingentiæ, licet in vi
consequentia sit infallibilis, et per-
tinet ad simplicem intelligentiam
in quantum explicatur sola vis con-
sequentia inter decretum, et effec-
tum futurum, ponendo decretum
pro conditione: sicut etiam in op-
posita sententia, si conditionalis fiat
ex ipsa scientia media, et objecto
futuro, v. g. si Deus præscit Judam
convertendum, Judas converteretur,
est necessaria consequentia, perti-
netque ad scientiam simplicis intel-
ligentiæ eam cognoscere, licet ex-
tremum sit liberum, et contingens,
scilicet conversio Judæ, consequentia
tamen illa in vi consequentiæ, et
conditionalis, est necessaria.

XXXV. Nec sequitur ex hoc, quod
Deus omnes veritates conditionatas
cognoscat per scientiam simplicis
intelligentiæ, non per scientiam li-
beram, si quidem infallibiliter illas
cognoscit, ergo non in vi conditio-

nis indifferentis, et contingentis
quæ exprimitur, sed in vi prædefi-
nitionis et decreti sui efficacis, sub
qua conditione veritas illa jam non
est libera, sed necessaria, pertinet-
que ad scientiam simplicis intelli-
gentiæ, non vero indiget decreto li-
bero, et scientia libera. Respondetur
enim quod veritas illa conditionata
contingens quæ formatur ex condi-
tione contingenti, et infallibili, non
autem habet ipsum decretum pro
conditione, cognoscitur a Deo me-
dio decreto libero tamquam ratione
et medio cognoscendi totum illud
conditionatum infallibiliter. Et tunc
licet decretum liberum sit medium
cognoscendi conditionalia illa de
quibus decernit, et determinat, non
tamen ipsum decretum ponitur pro
conditione, nec ex illo tamquam ex
conditione formatur objectum con-
ditionatum contingens, sed ea quæ
conditionata sunt et constant ex con-
ditione contingenti se habent ut ob-
jectum et materia super quam cadit
decretum, et hac ratione dicuntur
indigere decreto libero, et cognos-
ci per scientiam liberam, quia sci-
licet fundatur in illo decreto, ut
in medio, et ratione cognoscendi
alia conditionata. Si tamen ex ipso
decreto, vel ex prædeterminatione
ejus tamquam ex conditione forme-
tur aliquod objectum conditiona-
tum de effectu futuro, tunc tale con-
ditionatum solum explicabit con-
sequentiam infallibilem, et necessa-
riam inter decretum, et futurationem
effectus, licet liberi in se continen-
tis, quia hoc ipsum decernit quod
libere fiat, et pertinebit talis conse-
quentia infallibilitas ad scientiam
simplicis intelligentiæ, non in alio
decreto libero fundabitur, quia ip-
sum decretum, aut prædetermina-
tionem, quæ est infallibilis causalitas
ejus pro objecto, et conditione
habet.

XXXVI. Hinc ad argumentum

positum facilis responsio. Negatur antecedens. Ad probationem cum dicitur quod illa veritas est contingens, si dedero Judæ prædeterminans auxilium converteretur, vel si efficaciter decrevero fiet, taliter quod decretum vel determinatio ponatur ex parte conditionis, negatur quod illa veritas sit contingens in vi conditionalis, quia tunc solum explicat vim consequentiæ inter decretum et effectum futurum, quæ est consequentia formalis, et sic infallibilis et necessaria; sed tamen est de extremo contingenti, quia illud extremum Judas convertetur, liberum et contingens est, licet consequentia sit necessaria, nec enim repugnat ut ostensum est, quod consequentia illius conditionalis sit infallibilis, et extremum sit contingens et liberum, præsertim quando pro conditione ponitur ipsum decretum, vel prædeterminatio Dei, quia hæc non solum causat et decernit actum ipsum, sed etiam quod sit. Imo in futuris absolutis etiam hoc invenitur quod in se sunt contingentia, v. g. antichistus peccabit, ut autem subsunt visioni et providentiæ Dei, infallibilia, ut tradit D. Thomas in hac quæstione, art. XIII, ad II, et si fiat veritas de illis futuris per consequentiam hoc modo: Deus videt, vel absolute permisit Petrum peccaturum, ergo peccabit, est veritas necessaria, pertinetque in ratione consequentiæ ad scientiam simplicem, et sic non potest deficere in Deo, licet ex parte extremorum contingentia sint, et libera secundum se, nec enim repugnat consequentiam esse necessariam, et extrema contingentia secundum se, ut sæpe dictum est. Et ideo si objectum conditionatæ scientiæ ex parte conditionis involvat, aut requirat pro conditione concursus vel decretum Dei, destruitur objectum scientiæ mediæ vel liberæ, et reducitur ad

simplicem intelligentiam, ut articulo præcedenti adstruximus. Si vero objectum conditionatum solum habeat pro conditione aliquid fallibile et contingens, indiget libero decreto Dei tamquam ratione medio cognoscendi, sicque fundat et pertinet ad scientiam liberam.

XXXVII. Ad confirmationem respondetur illud argumentum non urgere ut etiam fatentur ipsi defensores scientiæ mediæ, et specialiter Suarez libro II de scientia conditionata, cap. VII, num. X contra Vazquez qui illo argumento utitur. Dicimus ergo, quod dato requiri aliquam mutationem ex parte objecti ortam ex decreto libero Dei, talis mutatio sequitur juxta materiam decreti, scilicet si decretum fuerit de objecto conditionato sequetur conditionate, si de absoluto absolute; sic quando Deus decernit, quod si Petrus cras vocetur, convertetur, mutatio quæ sequitur non est mutatio de facto, sed sub conditione, ita enim illud decretum decernit quid fieret, quod suspendit ne fiat. Adde quod quando decretum hoc proferitur circa subjecta existentia in hoc universo, etiam de facto aliquid in objecto resultat, scilicet causas ipsas esse dispositas ad sic producendum effectum, si illa conditio poneretur, sicut Tyrri melius erant dispositi ad fidem recipiendam si eis prædicaretur, Ceilitæ metu ipso vel adulatione erga Saulem, aut alio simili effectum, dispositi ad tradendum David, et sic de aliis. Adde tertio, nec etiam in decretis absolutis requiri semper quod sequatur mutatio aliqua realis et vera in objecto, sicut Deus vult hominem esse obligatum ex lege, esse reum ex peccato præterito, et tamen reatus iste et obligatio illa non ponunt aliquid positivum in homine. Et similia multa sunt quæ in aliqua relatione rationis consistunt, et Deus vult illa, ut ali-

quem hominem esse judicem, esse rectorem, aliquid esse ad placitum ut Sacramenta, et alia similia, quæ nihil ponunt realis mutationis in objecto, ergo illa doctrina est falsa, quod ad decretum actuale requiritur mutatio realis in objecto, sed ad omnia hæc potens est actus voluntatis divini eminentia sua, non semper reali mutatione nostra.

XXXVIII. Quarto, argui potest ex inutilitate, et otiositate istorum decretorum. Ad quid enim servit quod Deus circa infinitas combinationes possibles habeat decreta volendi facere hoc vel illud, si talis conditio poneretur, v. g. si alius mundus fieret, qui Angeli prædestinarentur, qui homines regnarent, qui miseri essent, etc. habendo simul decretum nihil horum faciendi? Quid otiosius, cum hoc etiam in homine quocumque, superfluitatis, et otiositatis damnaretur? Confirmatur, quia non est major ratio ponendi decreta Dei circa unum futurum, quam circa omnia possibilia, nam de quocumque possibili est cognoscibile quid futurum esset si talis vel talis conditio poneretur, ergo Deus id cognoscit, alias esset aliquid cognoscibile quod scientia infinita non attingeret. Sed per nos, non est cognoscibile ut futurum, nisi mediante decreto, ergo si habet hanc cognitionem de infinitis futuris, habet infinita decreta, ergo infinita producibilia cadere possunt sub decreto, et intentione producentis, ergo enervamus rationem, qua probat D. Thomas non posse produci infinitum, quia infinitum non potest cadere sub certa intentione creantis, supra quæstione VII art. IV. Confirmatur secundo argumentis, quibus probari solet Deum cognoscere futura absoluta in vi sui infiniti luminis et cognoscibilitatis objecti, eodem enim modo probant de futuro conditionato, nam possunt ex duobus

fieri contradictoriæ propositiones, quarum utraque non potest esse falsa aut vera, sed altera tantum, ergo qui illam determinate affirmet, verum determinate diceret, ergo ex se est determinate verum ante omne decretum. Sed hæc argumenta non procedunt specialiter pro scientia mediæ, sed etiam pro futuris absolutis, et præcedente disputatione soluta sunt.

Respondetur, jam nos supra articulo secundo ostendisse hæc decreta non esse otiosa, nec superflua, serviunt enim ut sciat Deus determinate quidquid determinate voluerit scire tamquam futurum sub statu conditionato. Quid autem voluerit, quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Et quis poterit definire, an voluerit determinare circa omnia possibilia, an solum circa ea, quæ connexionem habent cum rebus productis in universo, an cum illis quæ revelata sunt in Scriptura? Totum hoc divinare est. Sufficit scire, quod de multis quæ nobis revelavit sicut habuit voluntatem revelandi, ita potuit et habuit voluntatem exquendi si conditio poneretur. Certe p. Suarez libro II de scientia conditionata, cap. VII, num. X, nihil impossibile in his decretis inveniri affirmat, nec alii qui negant, inconveniens afferunt. Licet enim nobis videretur otiosum talibus occupari, qui nihil ex similibus decretis utilitatis eliceremus; Deo tamen otiosum non erit, qui per illa decreta exercet suam maximam et liberam potestatem, et voluntatem in determinando etiam quæ ad statum conditionatum spectant, ut hoc modo constet sub omni statu operari, et subjici Deo omnia secundum consilium voluntatis suæ. Nihil autem horum nos possumus.

XXXIX. Ad primam confirmationem respondetur in primis incertum esse, an circa omnia possibilia Deus

decreverit, quid futurum esset, id enim liberum erat Deo, et poterat facere quod voluerit. Circa multa enim potuit habere nolitionem decernendi, sed sub pura possibilitate relinquere, et tunc dicitur quod Deus cognovit de illis quid futurum esset solum sub ratione possibilis et secundum consequentiam necessariam, quatenus cognoscit quod id esset futurum quod ipse voluerit, et posset velle in tali occasione hoc vel illud. Quod vero cognoscat ut determinat exercendum et futurum, hoc pertinet ad denominationem extrinsecam dependentem libera voluntate Dei, quod non addit novam scientiam Deo in perfectione intrinseca; sed quamdam denominationem, qua carere potest, sicut potest carere denominatione intuitivi circa creaturas nolendo esse futuras. Secundo addimus, dato quod circa omnes combinationes haberet decreta sub conditione ex parte objecti, non enervatur ratio D. Thomæ circa infinitum, quia infinitas illa decretorum, licet versetur circa infinitas combinationes et ordines rerum collective, non tamen decernendo in unoquoque ordine et combinatione modo infinito, et intendendo quod fierent infinita, sed finita et determinata, et sic intentio circa unumquodque divisum finita est et finem habere potest, licet ordines rerum infiniti sint possibiliter et syncategorematicæ. Ratio autem D. Thomæ procedit circa productionem infiniti in re, quæ hoc ipso quod fieret, determinatum finem, et intentionem non haberet, quia infinitum in aliquo ordine rerum produceret. Sicut etiam Deus habet infinitas ideas circa infinitas creaturas posibles divisim producendas, non tamen habet ideam circa infinitum categorematicæ, et collective faciendum, qua unaquæque idea finito modo intendit idea-

tum suum, et ordinem suum. Ad secundam confirmationem respondimus loco in ea citato.

XL. Ultimo arguitur, quia Deus potest cognoscere actum suæ voluntatis prius natura quam actu velit, non obstante quod voluntas sua est æterna, et non solum sub ratione possibilis, sicut nunc cognoscit potuisse habere decreta libera circa plures res, circa quas non habuit, sed etiam sub ratione futuri conditionati, sed id necessario videt omne decretum suum actuale, ergo etiam actus voluntatis creatæ videt ut futuros sub conditione ante actuale decretum suum. Consequentia patet a paritate rationis. Minor probatur, quia ut Deus videat quid sub tali ordine decerneret, non indiget alio decreto, ita quod in decreto videat decretum, nam decretum Dei non pendet ab alio decreto sicut actus voluntatis creatæ a divino, sed omnia decreta æque actualia sunt, et carent potentialitate, nec unum dependet ab alio. Si autem per decretum suum cognosceret quid decreturus esset, rursus de illo decreto inquiri posset an per aliud cognoscatur, et sic in infinitum, vel si aliquid cognoscitur se ipso immediate, etiam omnia sic cognoscentur. Maior vero probatur, quia nunc cognoscit Deus multa decreta se non habere, quæ potuisset habere circa creaturas, ergo cognoscit illa esse possible, ergo etiam poterit cognoscere quodnam decretum haberet in tali vel tali rerum ordine, quod est illud cognoscere ut futurum sub conditione. Imo non videtur repugnare quod possit cognoscere actum suæ voluntatis ut futurum absolute, quia si potest prius ratione cognoscere illud ut possibile, si quidem potest cognoscere quidquid potest voluntas sua velle, ergo etiam ut futurum, quia potest attingere illud ut independentem a præsentia actuali

prius natura vel ratione quam præsens sit, sicut si Angelus crearetur a Deo ab æterno prius ratione videre posset actum voluntatis ejus ut emanaturum, quam ut actu positivum, hoc autem est cognoscere illum ut futurum, quia cognoscitur abstrahens a præsentia, quam in posteriori rationis habiturum est, ergo, etc.

XLI. Confirmatur, quia ista scientia fundata in decreto actuali nec est simplicis intelligentiæ, quia non respicit res sub statu puræ possibilitatis, sed attactas a libero decreto et sub statu exigentiæ conditionatæ, imo ut cognitæ per medium actu existens et intuitive cognitum, scilicet per decretum actu existens, et sic non attingitur scientia abstractiva. Similiter neque intuitiva, eum res illæ de facto non sint in entitate, quia non sunt in aliqua differentia temporis. Thomistæ autem dicunt quod res futuræ videntur a Deo prout sunt in æternitate, et illa sunt in æternitate, quæ ad aliquam mensuram temporis pertinent, et de facto habent esse, si enim de facto carent esse, carent etiam scientia intuitiva. Ergo est media inter scientiam visionis et simplicis intelligentiæ, inter mere naturalem et mere seu absolute liberam. Frustra ergo rejicimus scientiam illam mediam quæ utilissima est ad habendam rectam providentiam de rebus, sicut esset homo bene providens de omnibus, si de omnibus posset cognoscere quomodo continget et fient in tali, vel tali occasione, et sic plerumque sapientes dant consilium sub conditione si hoc vel illud feceris. procul dubio intelligentes quod est determinata veritas in tali conditionato, licet inter antecedens et consequens non sit dependentia necessaria.

XLII. Respondetur patrem Suarez libro II de scientia conditionata,

cap. VIII, tenere illam sententiam quod Deus videt decretum suum futurum, Molina autem in hac questione XIV, ar. XIII, disp. XVII, tenet non posse Deum cognoscere quid sua voluntas volitura sit sub conditione, quia non semper comprehendit voluntatem suam sicut voluntatem creatam. Sed hæc sententia Suarez tenenda non est, nec admittendum quod decreta Dei possint cognosci ut futura sive in statu absoluto, sive in statu conditionato. Et de statu quidem absoluto id ostendimus disputatione præcedenti, articulo II, circa finem. Nec possunt illa decreta considerari, ut futura sub statu conditionato, quia posset tunc purificata conditione reddi absolutum illud futurum, sed non potest esse absolute futurum ut loco citato ostensum est, ergo neque conditionatum. Quare si Deus videt quod voluntas sua in tali ordine rerum vel tali, habitura sit hoc vel illud decretum, id esse non potest nisi videat determinationem suæ voluntatis pro illo ordine, quod est habere jam de facto illam determinationem, quia illa volitio actu in Deo ex parte sui, licet ex parte objecti non pro nunc sit, sed pro tunc si illa conditio poneretur.

XLIII. Ad argumentum ergo p. Suarez negatur major. Ad probationem dicitur quod Deus cognoscit se potuisse habere multa decreta quæ de facto non habuit circa creaturas; ergo cognoscit illa esse possible, distingo; possibilitate entitatis et durationis ex parte sui, nego; possibilitate ex parte connotati extrinseci, id est, objecti transeat: ergo potest cognoscere illud ut futurum, futuratione tenente se ex parte objecti connotati, concedo; tenente se ex parte durationis actus et sub illa prioritate quæ ad futurationem requiritur quæ debet esse prioritas durationis, nego; ad hoc autem ut cognoscat objectum